

EXPOSITIONIS EPISTOLÆ AD ROMANOS

**G**videatur. Sed illi sunt fructus, facere voluntatem patris qui est in cœlis, cuius faciendæ seipsum exemplum præbere dignatus est. Sed merito potest mouere, quomodo huic sententiæ conueniat illud Apostoli ubi ait, Nemo in spiritu dei loquens dicit anathema Iesum: & nemo potest dicere dominus Iesus nisi in spiritu sancto: quia neque aliquos habentes spiritum sanctum possumus dicere non introituros in regnum cœlorum si perseverauerint vsque in finem: neque illos qui dicunt domine domine, & tamen non intrant in regnum cœlorum, possumus dicere habere spiritum sanctum. Quomodo ergo nemo dicit dominus Iesus nisi in spiritu sancto, nisi quia proprie Apostolus posuit verbum quod est, dicit, vt significet voluntatem atque intellectum dicentis? Dominus vero generaliter posuit verbum quod ait, Non omnis qui dicit, & reliqua. Videtur enim dicere etiam ille qui nec vult nec intelligit quod dicit: sed ille proprie dicit, qui voluntatem ac mentem suam sono vocis enunciat. Sicut paulo ante quod dictum est, gaudium in fructibus spiritus sancti, proprie dictum est, non eo modo quo alibi dicit idem Apostolus, Non gaudet super iniquitatem: quasi quisquam possit super iniquitatem gaudere: quia illa elatio est animi turbide gestientis, non gaudium: nam hoc soli boni habent. Ergo dicere videntur etiam illi qui non hoc quod sonat dicere videntur, & intellectu cernunt & voluntate agunt, sed voce tantum sonant, secundum quem modum dominus ait, Non ois qui dicit &c. Vere autem ac proprie illi dicunt, à quorum voluntate ac mente non abhorret prolatio sermonis sui, secundum quam significationem dicit Apostolus, Nemo potest dicere dominus Iesus nisi in spiritu sancto. Atque illud ad rem maxime pertinet ne decipiamur tendentes ad contemplationem veritatis, non solum nomine Christi, per eos qui nomen habent & facta non agunt, sed etiam quibusdam factis atque miraculis: qualia propter infideles cum fecerint, dominus monuit tamen ne talibus decipiamur, arbitrates ibi esse inuisibilem sapientiam, vbi miracula visibile viderimus. Adiungit ergo & dicit, Multi mihi dicent in illa die, domine domine, Nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus? & reliqua. Non ergo cognoscat nisi eum qui operatur æquitatem. Nam & ipsos discipulos suos prohibuit gaudere ex talibus: id est, quia dæmonia illis subiecta fuerint. Sed gaudete, inquit, quia nomina vestra

1. Cor. 13.

**H** scripta sunt in cœlis. Credo in illa ciuitate Hierusalem quæ est in cœlis, in qua non nisi & iusti & sancti regnabunt. An nescitis, ait Apostolus, quoniam iniqui regnum dei non possidebunt? Sed fortasse quis dicat, non posse iniquos visibilia illa miracula facere, & mentiri potius illos credat, qui dictum sunt, in nomine tuo prophetauimus & dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus. Legat ergo quæta fecerint resistentes famulo dei Moyse magi Egyptiorum: aut si hoc non vult legere quod non in nomine Christi fecerunt, legat quæ ipse dominus dicit de pseudoprophetis. Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere: surgent enim pseudochristi & pseudoprophetae, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem ducentur etiam electi: ecce prædixi vobis. Quam ergo mundo & simplici oculo opus est, vt inueniatur via sapientiæ, cui tantæ malorum & peruersorum hominum deceptiones erroresque obstrepunt, quos omnes euadere, hoc est venire ad certissimam pacem & immobilem stabilitatem sapientiæ. Vehementer enim metuendum est, ne studio altercandi & contendendi quisque non videat quod à paucis videri potest, vt paruus sit strepitus contradicentium, nisi etiam sibi ipsi obstrepant. Quod pertinet etiam ad illud quod Apostolus dicit, Seruum autem domini non oportet litigare, sed imitem esse ad omnes, docibilem, patientem,

\*forte, paruum.

2. Tim. 2.

stolus dicit, Seruum autem domini non oportet litigare, sed imitem esse ad omnes, docibilem, patientem,

in modestia corripientem diuersa sentientes, ne forte det illis deus penitentiam ad cognoscendam veritatem. Beati ergo pacifici, quoniam filij dei vocabuntur. Conclusio ergo totius sermonis quam terribiliter inferitur, valde attendendū est. Ois ergo, inquit, qui audit verba mea hæc & facit ea, similis est viro sapienti qui ædificauit domum suam super petram. Non enim quisque firmat quæ audit vel percipit, nisi faciendo. Et si petra Christus est, sicut multa scripturarum testimonia prædicant, ille ædificat in Christo, qui quod audit ab illo, facit. Sequitur, descendit pluuia, venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non potuerunt illam mouere, fundata enim erat supra petram. Non ergo iste metuit vllas caliginosas superstitiones. Quid enim aliud intelligitur pluuia, quum in mali alicuius significatione ponitur? Aut rumores hominum, quos ventis comparatos puto. Aut vitæ huius flumini, carnalibus concupiscentijs tanquam fluentem super terram vel petram. Horum enim trium qui prosperitatibus inducitur, aduersitatibus frangitur: quorum nihil metuit, qui fundatam habet domum super petram: id est, qui non solum audit præcepta domini, sed etiam facit. Et his omnibus periculose subiacet, qui audit & non facit, non enim habet stabile fundamentum, sed audiendo & non faciendo ruinam ædificat. Ait enim consequenter, Et omnis qui audit verba mea hæc & non facit ea, & reliqua vsque. Et factum est quum consummasset Iesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrinam eius: erat enim docens eos sicut potestatem habens, non quasi Scribæ eorum & Pharisei. Hoc est quod ante dixit per Prophetam esse significatū in Psalmis, cum diceret, Fiducialiter agam in eo, eloquia domini eloquia casta, argentum igne examinatum probatum terræ purgatum septuplum. Propter quem numerum admonitus sum etiam præcepta ista ad septem illas referre sententiæ, quas in principio sermonis huius posuit de beatis quibus diceret: & ad alias septem illas operationes spiritus sancti, quas Elaias Propheta commemorat: sed siue iste ordo in his considerandus sit, siue aliquis alius, faciendæ sunt quæ audiuiimus à domino, si volumus ædificare super petram.

De Sermone domini in monte,  
Libri Secundi finis.

**DIVI AVRE**

LII AVGVSTINI, HIP-  
PONENTIS EPISCO-  
PI, expositionis Epistolæ Pauli ad  
Romanos inchoatæ, salutatio-  
ne tantummodo expe-  
dita. Liber vnus.



**I**n Epistola quam Paulus Apostolus scripsit ad Romanos, quantum ex eius textu intelligi potest, quæstionem habet talem: vtrum Iudæis solis Euangelium domini nostri Iesu Christi venerit propter merita operum legis: an vero nullis operum meritis præcedentibus, omnibus gentibus venerit iustificatio fidei quæ est in Christo Iesu: vt non quia iusti erant homines, crederent: sed credendo iustificati, deinceps iuste viuere inciperent. Hoc ergo docere intendit Apostolus, omnibus venisse gratiam Euangelij domini nostri Iesu Christi. Quam propterea etiam gratia vocari ostendit, quia non quasi debita iustitiæ